ꝑcuſſi dixerūt Quis eſt iſte rex glo/
rie? acſi dicant. nos regē habem⁹ di
abolū: iſte rex glorie qs ē? Reſpodēt
āgeli chrīm p̄cedētes ad infernū: ipſe
eſt dn̄s fortis et potēs qꝫ mortē vi
cit. dn̄s potēs in ꝓlio ꝯtra diaboluꝫ
pncipē veſtrū quē alligauit ⁊ nūc ve
nit euertere domū veſtraꝫ ⁊ diripere
vaſa ei⁹ .i. ꝯfringere īfernalia clauſtra.
et educere captiuā captiuitatē. qꝛ ſpo
liato tartaro reduxit ſecū multitudi/
nē captiuoꝝ. Glo. Deinde angeli
p̄cedentes chriſtū in aſcenſione accla
mabāt alijs coꝝ pncipibus vt viā ve
nienti dn̄o aperiāt ei qꝫ occurrāt vn
de dicūt Attollite .i. reſerate veni/
enti dn̄o O vos pncipes celi por
tas veſtras .i. adit⁹ celeſtes. et eleua
mini .i. aperiamini vos porte eter/
nales videlꝫ ianue ſēpiťne. Hiero.
et introibit rex glorie qꝫ nō ſolum
poſt reſurrectionē īmenſaꝫ poſſidet
claritatē. verū etiā ⁊ illā quā equales
cū patre habuit pus ꝙ mūdus fieret.
Glo. Ipſe aūt virtutes āgelice no
uo myſterio chrī carne induti ſtupefa
cte q̄runt cū admiratōe Quis ē iſte
rex glorie quibus reſpondent alie.
Hiero. dn̄s virtutū. qꝛ ſuꝑ nouē
virtutes celoꝝ ſedet: merito virtutū
dn̄s dicit: qꝛ ꝓ nobis hō factus: mor
ti tradit⁹: infernalib⁹ tenebris eſt ad/
duct⁹. Qđ clement ſuſcepit: patienter
tolerauit: fortiter vicit: mirabilit con
ſummauit. Quicqꝫ virtute ꝓpria cal

cauit inferos. cuꝫ triūpho rediens ad
ſuꝑnos. cum gloria aſcendit ad celos:
ſedet nūc ad dexterā dei patris oīpo/
tentis. interpellans iugit noſtris pro
delictis. ipſe eſt rex glorie. Caſſ.
Sūt qdē dn̄o donāte ⁊ angeli glori/
oſi poteſtates. throni. dn̄ationes. ⁊ alie
potētiſſime creature. ſed nullus ē rex
glorie niſi qui eos ꝯdidit ⁊ ꝯtinet ſū/
mitatē. Tot⁹ hic pſalm⁹ ad moralem
ꝯtinet diſciplinā. Cōmonet enī vt va
nitatib⁹ derelictis: vero ⁊ pio dn̄o ſer
uiat fidelit. Quid eī beati⁹ ꝙ illū ſeqꝫ
qui humanū gen⁹ inflictā mortē iuſ/
ſit euadere? Sꝫ preſta dn̄e vt q̄ por/
tas mīe tue lauacro ſcē regeneratōis
intrauim⁹ nullis inde peccatis impel
lentib⁹ exeam⁹. Per dn̄m nr̄m ieſum
chrīm q̄ ē bn̄dict⁹ ī ſecula ſecu. Amen

## AD te domine

leuaui. Titul⁹ In finē Pſal
mus dauid. Glo. Iſte pſalm⁹ ē cō
ſolatio fideliū ꝯtra aduerſa ſeculi: ſi/
ue oratio eccleſie. Senſus aūt tituli
talis eſt: pſalmus iſte dirigens nos in
finē .i. chrīm: attribuit dauid .i. eccleſie
q̄ hic loquit in ꝑſona penitētis ꝑ fla/
gella correcti. Nico. Petit eīi de/
uio hui⁹ vite diuinā directionem di.
AD te dn̄e leuaui aīam meaꝫ qꝛ
oro eſt aſcenſus mentis in deuꝫ.
ſeu eleuatio ſꝫm Damaſcenū. Caſſ.
Ergo de terrena ꝯuerſatōe ⁊ a carna
lib⁹ deſiderijs dicit leuaſſe aīam ſuaꝫ
ad ꝯtēplationē rerū celeſtiū: qꝛ facile
humana deſpicit: qui dīna ꝯſpexerit.
Nico. Deus me⁹ in te confido .i. in
tua bonitate ⁊ non in mea equitate
Aug⁹: Ex eo ꝙ in me cōfidebā ꝑ/
duct⁹ ſum vſqꝫ ad iſtam infirmitateꝫ
carnis. Hugo. nō erubeſcā ꝓ pctō
rū meoꝝ ꝯfeſſionē. Neqꝫ irrideāt me
inimici mei videlꝫ demones. Unde
Gregori⁹ ait. Niſi ꝯtra eos vigilem⁹

patimur irriſores quos ad pct̃m ha/
bem⁹ ꝑſuaſores Nico. ⌊et eni uni/
uerſi q̃ ſuſtinẽt te⌋.i. q̃ ſuſtinent tẽta/
tiones ⁊ ꝑſecutões ꝓpt̃ te ⌊nõ ꝯfũdẽ
tur⌋eťnalit̃ in futuro. licz aliqñ in p̃/
ſenti tp̃alit̃ ꝯfundant̃. Cõſeq̃nt̃ oſtẽ
dit:q̃ ſunt digni eternalit̃ ꝯfundi di.
Confũdant̃ oẽs iniq̃ agẽtes⌋ vide/
licz idolatre ⁊ innocẽtiũ ꝑſecutores
⌊ſuꝑuacue⌋.i. inutilit̃ ⁊ infructuoſe:
īmo multũ dãnoſe Hiero. Hoc dic̃
ꝓphetãdo:ſz nõ optãdo Nico. Cõ
ſeq̃nt̃ format petitõnez ſuã di. Uias
tuas dñe demõſtra mihi⌋ ducẽdo me
ꝑ viã rectã iuſticie inter deuia huius
vite:q̃ null⁹ abſq3 tuo auxilio p̃t ſuffi
cient̃ euitare Hiero: vias dicit mã
data legi. ⌊et ſemitas tuas edoce me⌋
id eſt artã ⁊ anguſtã viaz q̃ ducit ad
vitã Collect. Sicut mũdo renũcia/
re:ſeipſum abnegare:et cetera talia
Nico. Semita ſtrictioꝛ ⁊ rectioꝛ ẽ
via cõi. Et ꝓpter hoc petit non ſolũ
dirigi in iuſticia cõi nc̃aria ad ſalutez
ſed cũ hoc in iuſticia excedenti q̃ ten/
dit ad ꝑfectionẽ. Idẽ Caſſi. ⁊ Aug⁹.
Dirige me⌋ ad vitã ⌊in veritate tua⌋
Nã ꝑ meip̃m nõ noui niſi mendaciũ
⌊et doce me⌋ ſcientiã Nico. q̃ nõ
p̃t haberi humana iueſtigatõe ⌊q2 tu
es deus ſaluatoꝛ me⁹⌋ ad ſalutẽ diri/
gi nõ poſſum niſi ꝑ tuã illuminatõez
Nõ eni diuinit⁹ ordinat̃ ad finẽ exce
dentẽ cognitionem naturalẽ ſꝫm ꝙ di
cit̃ Iſa. lxiiij. Ocul⁹ non vidit. nec au
ris audiuit ⁊ in coꝛ hoĩs nõ aſcendit
q̃ preparaſti diligentib⁹ te. Ad finem
aũt incognitũ totalit̃ null⁹ p̃t ſe diri/
gere ⁊ ideo opoꝛtet hoĩem edoceri a
deo ad ꝯſecutionem ſalutis eterne⌊⁊
te⌋ id eſt ꝓpter te ⌊ſuſtinui tota die⌋
oĩ videlz tp̃e vite mee Caſſ. Due
ſunt res q̃ efficiunt bonos chꝛianos
Prima vt deũ nr̃m ſaluatoꝛẽ eẽ cre/
dam⁹. Scd̃a vt ſub totius vite patia

retributionẽ ipſi⁹ expectare debeam⁹
Nico. Poſtq̃ petijt diuinã directi
onẽ inter deuia hui⁹ vite. hic ꝯſeq̃nt̃
petit offendiculi remotionẽ: qḋ in vi
ta recta p̃t impedire. hoc eſt pct̃m pre
pediens a rectitudine vite. Ad hanc
aũt remotionẽ ĩpetrãdã allegat p̃mo
miam diuã dicẽs Reminiſcere miſe
rationũ tuaꝝ dñe ⁊ miarũ tuaꝝ⌋ Mi
ſericoꝛdia ꝓprie loq̃ndo eſt act⁹ interi
oꝛ miſerantis. miſeratio vero effect⁹
exterioꝛ. Et vtrũq3 ſibi poſtulat po/
pul⁹ chꝛian⁹ largiri. ſcz actũ mie diue
q̃ eſt idẽ qḋ ipſe de⁹: ⁊ effectũ ei⁹ q̃ re/
cipit̃ in eo cui⁹ miſeret̃. Idẽ Caſſio.
⌊q̃ a ſeculo ſunt⌋.i. a p̃ncipio mundi.
Nunq̃ ei ſine illis fuiſti. q̃ etiã peccã
tem hominẽ vanitati q̃dez ſed in ſpe
ſubiectũ tot tãtis q3 creature tue ꝯſo
lationib⁹ nõ deſeruiſti Nic. Deli/
cta iuuẽtutis mee⌋.i. pct̃ã ex paſſiõe
ꝯmiſſa:q2 paſſiones carnales dñant̃
tp̃e iuuẽtutis Caſſ. delictũ q̃dã vo
lũt leui⁹ eẽ pct̃m. dictũ q3 ab eo ꝙ viã
linq̃t eq̃tatis: non t̃n in ſumma crimi
nũ prauitate verſet̃. Delictũ eſt enim
auidi⁹ cibũ ſumẽ:cachinno incõpetẽt̃
reſolui:ocioſis verbis opam dare et
cetera hm̃õi. q̃ grauiſſima.i. moꝛtalia
nõ vident̃ eẽ pct̃ã. ſz t̃n ꝯſtãt eſſe ꝓ/
hibita. Iuuẽtutẽ vero nõ t̃m floꝛidã
etatẽ poſuit:ſed precipitatiõis audaci
am Nã multi iuuenes moꝝ grauitate
maturi ſunt E cõuerſo q̃dã ſenes le/
uitatis crimĩe maculant̃ ⌊et ignoꝛãtie
as meas⌋.i. pct̃ã ex ignoꝛãtia ꝯmiſſa.
q2 multa facim⁹ q̃ mala eẽ neſcimus
⌊ne memineris⌋ ad me puniendũ ĩ fu
turo iudicio tuo ea reſeruãdo Nic.
Sed poti⁹ Secũdũ miam tuaz me/
mẽto mei tu⌋ remittẽdo mihi culpaz
et dãdo grãm ⌊ꝓpter bonitatẽ tuam
dñe⌋ et nõ ꝓpter meritũ meũ Hugo
Sicut dicit̃ in gloſa. Differẽtia ẽ int̃
miam dei et bonitatẽ eius. q2 mia eſt

q̄ fit miſeris:bonitas eſt: q̄ impendit
oībꝰ cōiter Dulcis ⁊ rectꝰ dn̄s .i.
miſericors dimittendo pctā :⁊ iuſtus
digna vltimo iudicio merita reqrēdo
Jdē Augꝰ. ppter hoc qꝛ dn̄s ē mi
ſericors ⁊ iuſtꝰ Nico. legē dabit
delinqn̄tibꝰ in via vite pn̄tis.q̄ lex ē
vt ſi vere peniteāt miam ꝯſeqn̄t.Sin/
aūt eternalit puniāt tq̄ ſua mīa abutē
tes Diriget māſuetos .i.in aīo pla
cidos in iudicio .i.in preceptis iu/
dicialibꝰ ſeruādis p q̄ hō bene ſe habꝫ
ad ꝓximū Hiero. docebit mites
vias ſuas vt videlꝫ deū ex toto cor/
de diligāt Caſ. Int māſuetos ⁊ mi
tes videt eē diſtātia. Manſueti dicun
tur q̄ſi manu ꝯſueti:hoc eſt tolerātes
iniurias:nō reddentes malū ꝓ malo.
Mites ſunt q̄ nulla furoris accenſio
ne turbant:ſꝫ lenitate aī ingit pſeue/
rant.hos docebit vias ſuas de qbus
ſubdit Uniuerſe vie dn̄i Nico.
id ē opa eiꝰ q̄ ſunt q̄dā vie deueniēdi
in cognitōeꝫ ipſiꝰ mīa ⁊ veritas .i.
iuſticia:qꝛ licꝫ in aliqbꝰ eiꝰ opibꝰ ma/
gis appareat mīa eiꝰ:vt in p̄miatione
ſcōꝝ.tn̄ eſt ibi etiā iuſticia in q̄ntū deꝰ
ordinauit ꝙ ꝓ talibꝰ opibꝰ redderet
p̄miū etnū.ꝓpter qꝺ dicit aplūs ij.ad
thimo.iiij. Bonū certamē certaui:cur/
ſum ꝯſūmaui:fidē ſeruaui.ideo repoſi
ta eſt mihi corona iuſticie.quā reddet
mihi dn̄s in illo die iuſtꝰ iudex. Et ſi
milit:licꝫ in aliqbꝰ opibꝰ plꝰ appareat
iuſticia:vt in dānatōe maloꝝ.tn̄ ibi ē
mīa in q̄ntū punit citra ꝯdignū.qꝛ tā
ta eſt offenſa:q̄ntꝰ ille q̄ offendit. Et
ideo in q̄libꝫ pctō mortali incurritur
de rigore iuſticie pena infinita. Et he
vie manifeſte ſunt reqrentibꝰ .i.cu
ſtodientibꝰ teſtamentū eiꝰ .i.legē a
deo datā et teſtimonia eiꝰ .i.monita
ꝓphetaꝝ ⁊ apoſtoloꝝ ipſiꝰ.qꝺ apparet
p experientiā diuinoꝝ bn̄ficioꝝ ꝙ vni/
uerſe vie dn̄i ſunt mīa ⁊ veritas:⁊ h̄

bene ꝯſonat littere hieronymi iuxta
hebreū q̄ ſic habꝫ. Oēs ſemite dn̄i mi
ſericordia ⁊ veritas his q̄ cuſtodiunt
pactū eiꝰ ⁊ iuſtificatōes eius. Deinde
ꝯcludit populꝰ fidelis petitionē ſuā
de remiſſiōe pctōꝝ dicens Propter
nomē tuū dn̄e .i.ꝓpter declarationē
bonitatis tue Caſſ. Uel q̄ dictꝰ ē
ieſus:qꝺ lingua nr̄a interpretat ſalua
tor ꝓpiciaberis peccato meo ipm re
mittendo Nico. multū eſt eni .i.
excedens facultatem virtutis mee ad
ſatiſfaciendūꝫ:qꝛ de nullo pctō p̄t hō
ſatiſfacere niſi ex dei dono. Nullū eni
opꝰ eſt ſatiſfactoriū abſq̄ꝫ diuina gr̄a
factū Caſ. Deinde oſtendit q̄s ti/
meat aut q̄li q̄s munere gratulet cuꝫ
dicit Nico. Quis eſt q̄ hō timet
dn̄m ſicut patrē timore filiali legeꝫ
ſtatuit ei ſcꝫ legē diuā ⁊ legē nature
.i. viā quā elegit Hugo qꝛ hō eli
git viā quā vult ſiue viā vite.vel viā
mortis:ſicut dicit: Eccī.xv. Ante ho
minē vita ⁊ mors:bonum ⁊ malū:qꝺ
placuerit ei dabit illi Nico. .i.i po/
teſtate eius eſt ad bonum tendere.⁊ a
malo declinare Hiero. Simile hu/
ic p moyſen ad populuꝫ ꝓteſtat dn̄s
dicens: Ecce hodie ſtatui āte oculos
tuos ignē et aq̄m:bonū ⁊ malū.vitā
et mortē.elige vitā ⁊ viues Anima
eius in bonis demorabitur hoc eſt
in premijs futuris ſi elegerit vitam
et ſemen eiꝰ .i.opꝰ qꝺ hic ſancte vi
uendo ſeminauit hereditabit terrā
id eſt poſſidebit vitā ppetuā tāq̄ꝫ he
reditatē ſuā Caſſ. Firmamentū ē
dn̄s timentibꝰ eū timor humanꝰ dif
fidentiā tribuit:diuinꝰ aūt ſpei firma/
menta ꝯcedit Hugo qꝛ ipſe timor
dn̄i ſtabilit ⁊ firmat cor in dn̄o. Un̄
dicit Grego: Ancora mentis: pondꝰ
timoris:timor dn̄i:fiducia fortitudīs:
et teſtamentū ipſiꝰ ſcꝫ dei ꝓmiſſio/
ne vt maīfeſtet illis timētibꝰ deum

in preſenti ꝑ fidē:et in futuro ꝑ ſpem
Et qꝛ tot et tāta expectat popul⁹ fide
lis a dn̄o.ideo ſubiūgit Oculi mei
interiores ſcꝫ intellect⁹ et affect⁹. In⁊
tellect⁹ ꝑ cognitionē ⁊ affect⁹ ꝑ deſi/
deriū ſp ad dn̄m reſpiciūt Hier.
qm̄ ipe euellet de laq̄o diaboli pe
des meos .i.ſenſus meos:a q̄ ꝑus ꝑ
voluptates ſeculi capiebar Hugo
facile eni euadit laq̄os in terris:q ſp
habꝫ oculos in celis Reſpice Ni.
tu dn̄e in me pietatis affectu et mi
ſerere mei in effectu quia vnicus
Hugo .i.nō ꝑ plura diſtract⁹ ſꝫ in
vnitate ꝑmanens:nec diuiſus ad mul
ta q̄renda:qꝛ vnā petij a dn̄o ⁊ pau
per ſum ego Caſſ. .i.a mūdi illece
bris ſegregat⁹.nulla qꝫ ſeculi ambiti/
one refect⁹ Tribulatōes cordis mei
multiplicate ſunt Glo. id eſt :tot
ſunt calamitates mūdi:qꝫ earū anxie
tas ꝑuenit ad cor Hugo Tribulat
iuſt⁹ int⁹ in corde ꝓpt mala alioꝝ: ex
ꝓlōgatōe etiā exilij: ⁊ ex dilatōe pr̄ie
celeſtis De n̄citatib⁹ meis erue me
Greg. xx.li.moꝝ. Natura humana
ꝯdita eſt:ſꝫ ad infirmitatē vitio ꝓprie
voluntatis lapſa in calamitatē ceci/
dit.qꝛ preſſa innumeris n̄citatib⁹.ni/
hil in hac vita niſi vnde affligeret in/
uenit:Crebro eni ſeductōis occaſiōe
inuenta dū n̄citati debita reddimus:
voluptatis vitio deſeruim⁹: ⁊ infirmi
tatis velamine ante diſcretionis ocu
los excuſatio nr̄a ſe palliat.ac q̄ſi ſub
patrocinio explende vtilitatis occul
tat. Vn̄ ſci viri in omne qd̄ agūt ſtu/
dioſiſſima intentione diſcernūt.ne q̄d
pl⁹ ab eis nature ſue infirmitas:qꝫ ſi
bi debet erigat: ne ſub n̄citatis noie
in eis vitiū voluptatis excreſcat At
ꝯtra reprobi gaudent in his corrupti
onis ſue n̄citatib⁹:qꝛ nimirum eas ad
vſum voluptatū torq̄nt. Cū eni refi/
ciendis cibo corporib⁹ nature ſeruiūt.

ꝑ delectationē gule in voluptatis in
gluuiē deſcēdūt Cū tegēdis mēbris
veſtimenta q̄rūt.nō ſoluꝫ q̄ tegāt:ſed
etiā que extollant: ⁊ per colorē ocu⁊
los ſeducāt:et etiā ꝯtra torporē frigo
ris nō ſolū q̄ minuāt:ſꝫ etiā q̄ ꝑ molli
ciem delectent ⁊ tactū mulceant expe
tūt Necitatis ei cāꝫ in vſum volupta
tis vertere:qd̄ eſt aliud qꝫ miſere in/
firmitatis ſue ſqualorem vitioꝝ ſatia
re? De q̄bus neceſſitatibus vir iuſt⁹
poſtulat liberari:atqꝫ ſubdit Hug.
Vide .i.propici⁹ reſpice humilita
tē meā in cordis ꝯtritione et labo
rē meum .i.laborē corporis in ſatiſfa
ctione Aug⁹. Ex his ſacrificijs pla
cat⁹ dimitte vniuerſa delicta mea .i.
oīa pc̄tā mea que ꝑ infirmitatem vel
hui⁹ vite caliginem admitto. Sequi
tur vox eccleſie Caſſ. Reſpice ini
micos meos ꝓ ipſis orat vt redeāt
⁊ ꝯuertant:qꝛ q̄s ille reſpicit:ſine dila
tione ꝯuertit. ſicut in euāgelio petrū
dn̄s reſpexit vt fleret. Et qꝛ multoꝝ
ꝑditio ſine maximo dolore nō p̄t ſu/
ſtineri:ſubiūgit qm̄ multiplicati ſūt
Aug⁹. non ſolū foris.ſed etiaꝫ int⁹
in ipſa eccleſie ꝯmunione non deſunt
inimici ⁊ falſi fratres ⁊ odio iniquo
oderūt me quia oderūt me diligentē
ſe:et hoc eſt odiū nō equū Cuſtodi
aīam meā ne declinet ad imitationeꝫ
coꝝ et erue me a ꝑplexitate q̄ mihi
miſcentur non confundar ſi forte i
ſurgūt aduerſum me quoniam ſpera
ui in te quia nullus ſperauit in do
mino ⁊ ꝯfuſus eſt Caſſi. Inno/
centes qui nullis mūdanis ꝯuerſati
onib⁹ polluūtur et recti qui diuino
munere a pc̄tōꝝ ſunt laq̄is abſoluti
adheſerūt mihi Aug. id eſt non
tantuꝫ preſentia corporali ſicut mali
miſcentur mihi:ſed conſenſione cor/
dis in ipſa innocentia et rectitudine
vite mihi adherent. Et non defeci

vt imitarer malos Caſſ. Q2 ſuſti/
nui te .i. ꝓpt̃ te paſſus ſum freq̄nt̃ ī
hoc mūdo āguſtias Aug⁹. Expe/
ctās vētilationē vltime meſſis tue.i.
iudiciū extremum ī q̄ malos ſegrega
bis a bonis Libera de⁹ iſrael .i.po
pulū tuū quē ꝑparaſti ad viſionē tuā
Ex oīb⁹ tribulatōib⁹ ſuis corꝑalib⁹
et ſpūalib⁹.nō tm̄ q̄s foris : ſ3 etiā q̄s
int⁹ tolerat Caſſ. Audiam⁹ quē ad/
modū adhuc in anguſtijs hui⁹ mundi
poſita in hoc pſalmo ad liberatorem
clamet eccl̄a.et deſinam⁹ tribulatiōes
nr̄as īpatient̃ ferre cū ip̄a3 mr̄em cō/
ſtat ꝑ nobis grauiſſimas āguſtias ſu/
ſtinē Coll. Studeam⁹ itaq3 chariſſi/
mi aīas nr̄as ad deū leuare: fiduciam
nr̄am ī ipſo ponē: hūilia ⁊ alta ei⁹ mā
data diſcē.vt mēamur in veritate diri
gi ⁊ ſapiam ipam q̄ de⁹ ē ī mēte īue
ri.ac ꝑ ei⁹ miām a delictis iuuētutis ⁊
ignorātie exuamur .vt manſueti ⁊ mi
tes facti.vias mīe ⁊ v̄itatis ſectemur.
atq3 emēdati ꝑ ꝓpiciatorē deū a q̄dti/
diano pctō timeam⁹ eū. Sicq3 in via
quā chr̄s ꝯſtituit poſſideam⁹ legē grē
ei⁹ ꝑ quā in bonis demoremur:⁊ here
ditate ꝑfruamur et̃na: Interim habē
tes deū ꝓtectorē:ad quē mites ocu/
los dirigam⁹ donec eleuemur de laq̄o
hui⁹ mūdi: ⁊ ꝑ ſuā miām a cūctis tri/
bulatiōib⁹ liberati ꝯtemplari merea/
mur cu3 gaudio in ſua maieſtate dn̄m
nr̄m ieſum chr̄m.cui cū pr̄e ⁊ ſcō ſpū
ē honor ⁊ gloria ī ſecula ſecu. Amen

## Judica me domie

Titul⁹. Pſalm⁹ dauid Clo. Per
dauid nō ītelligit̃ hic chr̄s q̄ ē medi/
ator int̃ deu3 ⁊ hoīem: ſ3 vir ꝑfect⁹ q̄
petit ī futuro ſeparari a malis: loco:
a q̄b⁹ ī pn̄ti vita ſeiūgit̃: merito Intē
tōe monet vitari ꝯſortia iniq̄rū ⁊ iun
gi iuſtis.quia ex conuictu mores for/
mantur Unde dicit

Judica me dn̄e. Hugo iudicio diſ
cretiōis ⁊ diuide me a malis Caſ.
ꝑiculoſa q̄dē iudicij videt̃ eē petitio.
ſ3 ſeq̄ſtratio maloꝝ q̄ fit ī examie dn̄i
cognoſcit̃ a bono merito ꝯpetent̃ o/
ptari. Quapropt̃ nō hic deteſtabilis
arrogantia meritoꝝ : ſed iuſta petitio
fideliter ſeruientis vt ſeq̄ſtret̃ a peſſi
mis vt non cū ipſis habeat portionē
petitur: Poſtulat ergo vir iuſt⁹ dei
iudicia: q2 cert⁹ erat de ei⁹ mīa Hug:
Cām vero ſue petitionis ſubiūgit: di
cens Qm̄ ego in innocētia mea igreſ
ſus ſum viā3 iuſticie Aug⁹. id eſt
qm̄ poſt miām quā tu mihi dediſti in
nocentie mee habeo aliq̄d meritū: cu/
ius viā cuſtodiui. Et ꝓpter hoc In
dn̄o ſperans et non in me non infir
mabor Hugo corpore videl3 ꝯſti
tutus inter pctōres ꝑſeuerabo in bo/
no ope Colle. Trāſlatio hebraica
habet. Judica me deus q2 ego in ſim
plicitate mea ambulaui. ⁊ in deo con
fidens non deficiam Proba me dn̄e
⁊ tenta me Caſſ. Cur iſte vir ſan
ctus petit ſe debere tentari: cum ī do/
minica oratione ſit poſitum: Ne nos
inducas in tentationem! S3 ſciendū
q̄ due ſunt tentationes. Una domi/
ni: qua bonos tentat vt eos competē
ter erudiat. Altera diaboli que ſemꝑ
ducit ad mortem: de qua precamur li
berari: ne in eius partes inducamur.
Bene ergo vir ſanctus petit dicens.
Proba me et tenta me Grego. vij.
li. moraliū: acſi aperte dicat. prius vi/
res reſpice. et tūc vt ferre valeā tētari
ꝑmitte Caſſ. Hoc eni nō preſum/
ptiue dicit: ſed emendationis gratia
fieri poſtulat. Nam quando ille per/
ſcrutatur et tentat. facit nos intelli/
gere peccatum noſtrum et ad fructu3
penitētie peruenire. Alioquin ſi nul
la nos in hoc ſeculo aduerſitate ꝯmo
ueat: relinq̄m⁹ ſub neglectu ea ꝑ q̄b⁹

ſatiſfacere deberem⁹ Nico. ꝛ qꝛ ad
pfectã inocẽtiã requirit mũdicia coꝛ/
dis ꝛ corporis Ideo ſubdit Lvre re/
nes meos.J pſeruãdo me a pctis car/
nalib⁹ Let coꝛ meum.J pſeruãdo me a
pctis ſpũalib⁹. Deinde oſtendit cur
tentationũ picula nõ timebat dicens
Quoniã mĩa tua añ oculos meos ẽ.J
ipſam iugit meditãdo Aug⁹. q̃ me
ad talẽ vitam pduxiſti Let ꝯplacui.J
Caſ. Cõplacere aũt eſt cũ ſcis dñi
eternã grãm ꝓmereri Liveritate tua.J
.i. in te q̃ es veritas. Deinde enũerat
q̃ dño largiente pegit: vnde ſe placu/
iſſe teſtatur⁹ eſt: di. Hiero. Non
ſedi cũ ꝯſilio vanitatis.J .i. nõ ſum cõ
iũctus his q̃ de terrenis cogitãt ſp ꝛ
loquũt Caſſi. Fieri eñ pt vt hõ ſcũs
caſu aliq̃ veniat ad ꝯſiliũ iniquoꝝ vbi
vel icõgrua vel vana referũt. ſ cũ ta/
lia cognouerit neq; cũ eis ſedet: neq̃
delectatiõe aliq̃ ꝯmorat. ſ prauũ ſtu/
dium aut diſſuadet aut deſerit. Qua/
propter cũ ſe pus negaſſ ſediſſe cu
malis mõ profitet: ſed nõ introiſſe cũ
peſſimis dicens Let cũ iniq̃ gerentib⁹
nõ introibo.J Ante eñ tractatũ ipoꝝ
vitauit. ꝛ poſtmodũ facta deſeruit.
Introit ad ſcelus cũ aliq̃d audacter
incipit. Hũc introitu vir ſanct⁹ ꝛ a
ſua ꝯſcĩa ꝓfitet alienũ O diui eccaꝝ.J
.i. ꝯgregationẽ ꝛ ſocietatẽ Lmali/
gnãtiũ.J Odiũ ſignificat diuiſionẽ: ſic
in amoꝛe collegiũ Let cũ impijs nõ ſe
debo.J Superi⁹ dixit ſe in vanitatis
ꝯſilio nõ ſediſſe: mõ profitet ſe cũ im
pijs nõ ſedere. Vani ſunt q̃ caducis
inq̃ſitionib⁹ occupantur. ꝛ in ſupflua
narratione temp⁹ ꝯſumũt. Impij aũt
heretici ſunt, q̃ oĩbus perfidis ſcri
pturas diuinas deprauare contendũt
Hos ergo vtroſq; iure monet eſſe fu
giendos: qꝛ illi ſupfluitates diligunt:
iſti tela ꝑuerſitatis infigũt Lauabo
inter innocentes man⁹ meas.J pt talis

loqui q̃ caput ſuũ ſequit chrm: q̃ ter/
rena deſpicit ꝛ celeſtia ꝯcupiſcit. ſicut
Aplũs ait. Noſtra ꝯuerſatio ĩ celis
eſt. Spũaliter man⁹ lauat int innocẽ
tes, q̃ſquis act⁹ ſuos lachrymabili ſa/
tiſfactiõe diluerit, ꝛ facta ꝓpria ſtudio
bone ꝯuerſatõis emẽdat Nico. per
man⁹ aũt vite ſignificant opera: eo q
man⁹ eſt organũ organoꝝ. vt dicit in
iij. de aĩa Per hoc vir ſcũs petit ſci/
tatẽ vite q̃ requirit in cultu dei. ideo
ſubdit Let circũdabo altare tuũ domi/
ne.J Col. vbi a pſbytero imolatur
hoſtia corporis chriſti. Et vox laudis
a populo chriſti audit, atq; mirabilia
dei narrant Caſ. Que in ſanctarũ
celebratione miſſarũ beata canit eccã
Aug⁹. Multi eñ altare hoc viſibile
tangũt indigni. et tolerat de⁹ pati iniu/
riã ad tẽp⁹ ſua ſacra. ſed eſt altare qđ
nõ amplectit niſi ille q̃ lauat man⁹ in/
ter innocentes, fact⁹ eſt ꝛ ipſe inno/
cens Col: de q̃ legit in miſſa. Iu/
be hec pferri p man⁹ ſcĩ angeli tui: in
ſublime altare tuũ in cõſpectu diuine
maieſtatis tue. Hoc altare circunda
Aug⁹. Vbi offers vota dño: vbi p
ces fũdis: vbi ꝯſcĩa tua pura ẽ: vbi di
cis deo qui ſis, etſi aliq̃d eſt in te qđ
diſpliceat deo. curat ille cui cõfiteris.
Hoc faciã Vt audiã vocẽ laudis.J
Audire vocẽ laudis eſt intelligere ĩ/
tus videl quicquid in te mali eſt de
peccatis tuĩ eſt. et quicq̃d boni in iu/
ſtificationib⁹ dei eſt Let enarrem vni/
uerſa mirabilia tua.J Hiero. id eſt
q̃cquid boni agam⁹ a deo reputet eſſe.
et quicquid mali fecimus a nobis. ſic
laus dei pfecta eſt: laus hominis imp
fecta. Aliter Hugo Mundabo
opera mea penitendo ꝛ confitendo. ꝛ
circundabo altare tuum. id eſt men/
tem meam et conſcientiam meam cir
cumſpiciam et diſcutiam: in qua tan/
q̃ in altari offertur deo ſacrificiũ ſpi

ritus ꝯtribulati. Et hoc faciā vt audi
am vocē laudis. i. vt intelligā audien
do ſacrā ſcripturā: i. q̃ laudat̃ de⁹: ad
qđ debꝫ precedere mūdicia: diſcuſſio
et preparatio mētis. q: ſicut dicit̃ Sa
piētie. i. In maliuolā aīam n̄ intrabit
ſapiā dei Et intellecta ſacra ſcriptura
enarrē vniuerſa mirabilia tua. q̄ pro
nobis paſſus es ⁊ reſurrexiſti: ⁊ q̄ iu
ſtificas impiū reſuſcitādo aīam a mor
te q̃ in ſacra ſcriptura ꝯtinent̃ Domi
ne dilexi decorē dom⁹ tue .i. eccleſie
tue Caſſ. Decorē dicit̃: ⁊ non pul
critudinē parietū aut miniſterioꝝ p
cioſiſſimos apparat⁹: ſed ipſoꝝ actuū
beatiſſimā qualitatē qb⁹ gaudet eccīa
videlꝫ in pſalmoꝝ iubilatiōe: in pn̄i
ſcitate: i. chr̄iani populi humillima de
uotione et locū habitationis glorie
tue Dicendo enī habitationis locū
humani pectoris ſignificauit arcanū.
Eſt ergo mens ſcōꝝ locus habitatio
nis: in qb⁹ de⁹ habitare cognoſcit̃ Si
cut dicit aplūs Templū dei ſanctum
eſt: qđ eſtis vos Et mirabilit̃ ſubiū
xit: glorie tue. q: vbicūq; habitat glo
ria eſt Glorioſum enī efficit q̄cquid in
habitare dignat̃ Et ab hoſpitis meri
tis creſcit hoſpitij magnitudo Dein
de vir ſanct⁹ iuſte rogat ne cū impijs
aīa eius pereat in futuro iudicio cum
qbus hic cōmunē nō habuit actionē
vn̄ dicit Hugo Ne pdas id ē ne
perdi permittas cū impijs de⁹ id ē
cū infidelib⁹ q̃ oderūt animam meam
q̃ dilexit decorē domus tue Caſſ.
Merito enī ab eis ſe ſeq̄ſtrari petijt a
qbus hic ſe diuiſit et cū viris ſāgui
nū vitā meā Sanguinū enī viri ſūt
chr̄iani q̃ carnaliter viuūt ⁊ nulla iuſ
ſa celeſtia ꝯcupiſcūt. De qb⁹ ſubdit̃
exponendo q̄les ſint dicens In q̄rū
manib⁹ hē eſt in opib⁹ eoꝝ iniq̄tates
ſunt Hugo id eſt qui opant̃ pec
cata. q: pcc̄m eſt iniq̄tas dextera eo
rum repleta eſt munerib⁹ Hiero.
eſt mun⁹ a lingua: videlꝫ fauoꝛ huma
nus. Et ē mun⁹ a manu: a reb⁹ vide
licꝫ terrenis. Et eſt mun⁹ ab obſeq̄o:
videlꝫ ſeruitiū indebite impenſum
Caſſ. Et ꝯſidera q̄ hic accipientes
iudices vniuerſalit̃ execrant̃. Nā ⁊ q̃
iuſticiā vendit munerib⁹ dexterā re
plet: et qui nocētes abſoluit dexterā
ſuā munerū acceptiōe repleuit. Iſti
tales de dextera ꝑ quā vita eterna in
telligit̃: faciūt ſibi ſiniſtrā Aug⁹. q:
qđ eis ad obtinendā ſalutē eternā da
tum eſt: hoc ad accipienda hui⁹ ſeculi
munera ꝯuerterūt: exiſtimātes q̄ſtuꝫ:
id eſt rei alicui⁹ acq̄ſitionē eē pietatē
Caſſ. et licꝫ illi accipiendo fallacit̃
gaudeāt dexteraꝫ ſuā munerib⁹ fuiſſe
repletā, tamē Hugo Ego aūt in
nocentia mea ꝑ ſtudium ſancte vite
ingreſſus ſum viā veritatis ⁊ iuſti
cie redime me ꝑ preciuꝫ ſanguinis
tui Aug⁹. et miſerere mei ſic q̄
a periculis hui⁹ vite miſericoꝛdia tua
nō me d̄ſerat Caſſ. Pes me⁹ ſtetit
id eſt ſtabit in directo id eſt in via
mandatoꝝ tuoꝝ q̃ recta ſunt ⁊ rectos
faciūt obedientes in eccleſijs hoc ē
in ꝯgregationib⁹ fideliū benedicā te
dn̄e Aug. benedicere dn̄m in ec
cleſijs fratres eſt ſic viuere vt pmo
res cuiuſq; benedicat̃ deus. Nā qui
benedicit dn̄o lingua: ⁊ factis maledi
cit: non in eccleſijs bn̄dicit domino
Caſſi. Conſideremus chariſſi
mi qualem nobis formam vite reli
gioſus iſte tradiderit. Dicit enim
ideo ſe hic vitaſſe peſſimos ne in
iudicio domini cum malis poſſit eſ
ſe ſociatus: ammonens vt iniquo
rum conſortia fugientes: fidelibus
chriſti ſpirituali nos ſemper chari
tate iungamus. quia ex diuturna
hominum conuerſatione: moꝛum
ſemper trahimus qualitatem. Hoc

enī et ſextꝰ pſalmꝰ āmonet cum dicit
Diſcedite a me om̄es q̄ operamini ini
q̄tatē. Hoc et in xvij. pſalmo dicit q̄
ait. Cū ſcō ſcūs eris ꝛ cū ꝑuerſo ꝑuer
teris. Quaproptē ſtudioſiſſime q̄ramꝰ
glorioſum munꝰ aptūqꝫ collegiuꝫ q̄d
nos virtute erudiat. ꝛ deſiderio diuine
charitatis accendat. ne in retributōe
maloꝝ merito iūgamur peſſimis. qui
collegiū hic habere nolumꝰ cū malig
nis Col. Cōponamꝰ itaqꝫ vitam
nr̄am in ſcā ꝯuerſatione. q̄tenꝰ religio
ſis adornatis moribꝰ. ex operibus nr̄is
bonis glorificet ꝛ bn̄dicat piiſſimus
dn̄s noſter Jeſus xp̄s. cui eſt honor
et gloria in ſecula ſeculoꝝ Amen

DOminꝰ illu-
minatio mea ꝛ Titulꝰ
talis eſt: in finē pſalmꝰ
dauid pꝰq̄ liniret Glo.
Titulꝰ iſte eſt ſumptꝰ de hiſtoria libri
regū: vbi legit dauid ter fuiſſe inūctꝰ
Nico. Primo a ſamuele in regē in
domo patris ſui: in ſignum q̄ eēt rex
futurꝰ. ſicut legit. i. Reg. xvi. Scd̄o
fuit inūctꝰ in hebron in regē mortuo
ſaule: vt habet. ij. Re. ij. Tertio inū-
ctus eſt ſup totū iſrael. vt habetur ij.
Re. v. Hiero. Sed de iſtis tribꝰ
inunctiōibꝰ media ad iſtū ꝑtinet pſal-
mū Hugo Nā ſicut dauid poſt ꝑ-
mā ꝛ ſecūdā inūctionē multas tribu
latōes ꝛ ꝑſecutōes paſſus eſt a ſaule
rege ꝛ etiā a filio ſuo. Sic chriſtianꝰ pꝰ
vnctionē acceptā in baptiſmo: in ſi-
gnū q̄ eſt futurꝰ rex in regno celorū
Et pꝰ ſcd̄am quā accipit in ꝯfirmati-
one multas patit temptatōes: tribulati
ones: ꝛ ꝑſecutōes a diabolo. mūdo. ꝛ
carne: et a ſuis inimicis: quſqꝫ ad ter
tiam ꝑueniat inūctōeꝫ: q̄ dat in extre
ma vnctione iā moriturꝰ. vel migratu
rus ad celeſte regnū. vbi in tranqllita
te pacis regnabit ſecurꝰ. Oſtendit er-
go in hoc pſalmo q̄nta ꝛ q̄lia oportet
hominē pati vt vitā ꝯſequat eternā
Vn̄ tituli ꝑdicti talis eſt ſenſus Iſte
p̄s dirigens nos in finē ꝯſummatōis
future attribuit dauid. i. cuilibꝫ peni
tenti. qui p̄s agit de his q̄ patit āteqū
liniat tertio. i. anteq̄ inungat chriſtia-
nus inunctiōe ꝑfecta. q̄ erit cū ꝑcipiet
regnū eternū. de quo in fine huiꝰ pſal
mi concludit dicens. Credo vidē bo-
na dn̄i in terra viuentiū. Loquit er-
go de ſe vir iuſtꝰ tanq̄ de militāte: di
cens ſe dominū timere. ꝛ nullū alterū
formidare

DOminꝰ illuminatio mea Illumi
nans ꝛ docens me: dans q̄ mihi
notitiā ſui Hiero. ſicut oculi cor
poris illuminant. vnde dictū eſt. Qui
illuminet omnē hominē venientē in
hūc mūdum Caſſ. ꝛ ſalus mea
in quo verbo cūcta ꝯcluſit ꝛ corporis
valitudinē ꝛ aīe ſoſpitatē quem er
go timebo acſi dicat: nullum homi
nem formidabo. quia eccl. xxxiiij. dici
tur. Qui timet dominum nihil trepi-
dabit. et non pauebit: quoniam ipſe ē
ſpes eiꝰ Dominꝰ defenſor vite mee
Aug. quia ipſe repellet om̄es im
petus ꝛ inſidias hoſtis mei a quo
ergo trepidabo Caſſ. id eſt a nul
lo. Tales quippe interrogationes ꝓ
abnegationibus accipiendas non du-
bium eſt Hugo Dum appropiāt
id eſt accedūt ſup me id eſt contra
me nocentes vt edāt carnes meas
ꝑſequendo tūc ꝛ non timebo Au.
quia finitis carnibus. ſpūs ero. ꝛ ſpiri
talis. Deinde probat q̄ nullū timere
debuit di. Hiero. Qui tribulant
me inimici mei demones vel ꝑſecuto
res ipi infirmati ſūt ꝛ ceciderūt Caſſ.
Nā ꝑſecutores q̄ formidari poterāt:
ſtruerūt. q̄s rogo timor erit q̄ñ potiꝰ
illi cadūt q̄ īpugnare videbāt: nō ei illi
q̄ paſſiōibꝰ p̄muūt: ſꝫ illi magis corruūt

qui innocentium ſanguinē deuorare feſtinant Aug⁹. ꝓtegitur imꝑator ſcutatis et nō timet: ꝓtegit̃ mortalis a mortalib⁹ ⁊ ſecur⁹ eſt: ꝓtegit̃ mortalis ſub īmortali ⁊ timebit ⁊ trepidabit? Nequaq̃. Quāta aūt fiducia debebat eā in eo q̄ iſta dicit audite Si cōſiſtant aduerſuȝ me caſtra. Hier. id eſt fortitudo demonū vel ꝑſecutorū Nō timebit cor meū. Aug. quia inimic⁹ nō aufert ſpūalia niſi tu dimiſeris. ⁊ quiſquis aufert tp̄alia te donāte poteſtatē aufert. Permittet̃ autē ad penā nr̄am: aut ad ꝓbationē Si exurgat aduerſum me preliū. i. ꝑſecutio huius ſeculi Hiero. aut pugne demonioꝝ In hoc ego ſperabo. Hu. q2 ideo permittit me domin⁹ ꝑſeq̄ ⁊ temptari: vt me adiuuet. ⁊ meritū adq̄ram reſiſtendo Aug⁹. Vel in hoc ego ſperabo. i. ī hac petitione quā cogito figam ſpem meā. De q̄ ſubdit Vnam petij a dn̄o. Que eſt illa vna? Vt inhabitē in domo dn̄i oībus dieb⁹ vite mee. Hoc eſt in vita eterna vbi ſp̄ manebim⁹ Quid aūt eſt qđ deſideras in illa domo? Vt videā inq̄t voluntatē dn̄i. Hugo i. videns faciem dn̄i: in ea legā volūtatē ei⁹. Trāſlatō hebraica habȝ: vt videā pulcritudinē dn̄i Aug. Vt ſp̄ contempler eā: et nulla moleſtia contingat ꝯtemplantē. nulla ſuggeſtio auertat: nulla potētia alicuius auferat: nullū inimicū patiar in ꝯtemplando. ⁊ ꝑfruar delicijs ſecurus ipſe videlȝ dn̄o meo ⁊ viſitē templum eius. Hugo id eſt illam celeſtem domū: de q̄ dicit ī alio pſalmo Dn̄s reuelauit cōdenſa: et in templo eius omnes dicent gloriā. Et loquit̃ hic propheta a ſimili amicoꝝ q̄ ſe inuicem viſitāt: vt inuicē ꝯgaudeāt. Sic in illo templo videbim⁹ felicitatē ſanctoruȝ. vt inde ꝯgaudeamus eis. Vt autē illuc ꝑueniam vnde mihi ꝓmitto? Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo. id ē in fide humanitatis ſue Hiero. Tabernaculum diuinitatis humanitas chriſti eſt. De q̄ dicit in alio pſalmo. In ſole poſuit tabernaculū ſuū In die maloꝝ. Aug⁹. Hoc eſt tempore tentationum: quib⁹ humana vita ſubiacet Hiero. non q2 dies mali ſint: ſed in noſtris operibus mali dicuntur. ſicut dicit Aplūs quoniam dies mali ſunt Hugo Protexit me. a metu ⁊ periculo In abſcōdito tabernaculi ſui. id eſt in fide diuinitatis ſue abſcondite ſub tabernaculo carnis Collect. Abſcōdimur in humanitate chriſti contra vitiorū inſidias: quādo humilitatem incarnationis eius. ⁊ patientiam paſſiōis ei⁹ imitamur. et protegimur in ſecreto diuinitatis eius contra procellas tentationum: quando a terrenis deſiderijs et curis ſuperfluis elongati guſtamus per contemplationis deſideriuȝ q̄ȝ ſuauis eſt dominus. Vnde apoſtolus ad coloſſen. iij. Videns diſcipulos contemptis terrenis omnibus in ſecreto diuinitatis abſconditos ait. Mortui eſtis. ⁊ vita veſtra abſcondita eſt cum chriſto in deo Vnde ſubditur Hugo In petra. id eſt in chriſto exaltauit me. quia in ipſo ⁊ per ipſum aſcendo de virtute in virtutē. Et hec exaltatio fuit ſm mentem: Vnde ſubdit Et nunc in preſenti vita exaltauit caput meū. id eſt mentē meā ſup inimicos meos. ſcȝ demōes. q̄ȝ appetit⁹ ⁊ mot⁹ carnales Hiero. qui me ſepe humiliabant: ne celeſtia contemplarer Caſſ. Supra quos mens noſtra decenter erigitur: q̄ndo dei beneficio pura ſeruatur. Decurſis beneficijs que de futuro ⁊ in preſenti ſe cognouerat accepiſſe. nūc gaudiū ſuū mirabili narratōe dſcribit di. Circuiui. ꝑſcrutando oīa oꝑa tua in

aīa mea:q̄ oīa clamāt vt te laudē Au.
Circūeat animus tuus p̄ vniuerſam
creaturaȝ. vndiq; clamabit creatura.
De⁹ me fecit. Vides celū terrā: diuer
ſitates germinū. ⁊ multitudinē aīaliū
nihil relinq̄s in celo: in terra: in mari
oīa reſonent laudeȝ ꝯditoris. Inſup̄
ꝯſidera in orbē credentiū in chriſtum
⁊ in eo q᷑ p̄ nob̄ tpaliter de⁹ naſcen
do ⁊ morte patiendo humiliat⁹ ē gau
dens. Immolaui in tabernaculo eius.
hoc eſt in ſancta eccīa. Hoſtiā vociſe/
rationis. i. ineffabilis laudis. Canta
bo ⁊ pſalmū dicā dño. Caſſ. Can
tare eſt ſola voce laudes canere. Pſal
mū dicere: eſt gloriā dñi bonis opib⁹
predicare. Cantare eñi ⁊ pſalmū dicē.
eſt hoſtia vociferationis vel iubilati/
onis. ſicut tranſlatio Romana habet
Hugo. Sequit̄ oīo iuſti viri eū di
citur. Exaudi dñe vocē meā qua cla
maui ad te. deuote orando. vt inha/
bitē i domo tua celeſti. Miſerere mei
et exaudi me. Caſ: Iteꝝ rogat vt
exaudiat̄ nec deſiderio ſuo adhuc ſa/
tiſfaciat: niſi hoc freq̄nti ſupplicatione
rogauerit. ſcȝ q̄ꝛ diuinaꝝ rerum nulla
ſatietas eſt. ſed q̄nto pl⁹ guſtat̄ dñs:
tāto ſuauius appetit̄. ſicut in alio pſal
mo dicit. Guſtate ⁊ videte qm̄ ſuauis
eſt dñs. Tibi dixit cor meū. Cor de/
ſideriū tacitū ꝓdit: qd̄ pl⁹ audit diui/
nitas q̄ȝ populoꝝ tonantiſſimas vo/
ces. ſicut moyſi dicitur. Quid clamas
ad me: cum locutus aliq̄d nō legatur.
Hugo. Exquiſiuit te facies mea.
id eſt extra oīa alia q̄ſiuit te mēs: ſeu
volūtas mea. Faciē tuā dñe requirā.
id eſt pn̄tiam tuā. Aug⁹. Vt gra/
tis te diligā. qm̄ precioſi⁹ aliq̄d nō in/
uenio. Grego. Quia eñi aīa ad deū
appetendū ⁊ habenduȝ facta eſt: q̄cq̄d
deo minus eſt ei nō ſufficit. Ideo huc
illuc q; agitat̄: et ab vnaquaq; re faſti
dio replente remouetur. Vn̄ Aug⁹.

in libro confeſſionū ait. Inquietū eſt
cor noſtrū: donec requieſcat in te. Caſſ.
Faciē eī dñi requirit. q̄ ſe ſancta ꝯuer/
ſatione tractauerit. q̄les ſunt illi: de q̄/
bus dictū eſt. Beati mūdo corde: qm̄
ipſi deū videbūt. Hugo. Quāto ei
deſiderat magis aliq̄s deū videre. tā/
to magis timet eū amittere. Ideo pe/
tit non ſeparari a deo. di. Ne auer/
tas faciē tuā a me. mihi gratiā tuam
in preſenti: et preſentiā tuā in futuro
non denegando. Ne declines in ira a
ſeruo tuo. Caſſio. Illis enim do
min⁹ creditur iraſci: qui in iudicio ſuo
infelici ſegregatōe dāñandi ſunt. Ro
gat ergo ne tūc declinet ab ipſo domi/
nu⁹. qn̄ ſanctis vultum ſue maieſta/
tis indulget. Homo carnalis deuȝ ti
met: ne pc̄tis ſuis exigentib⁹ aut ſub
ſtantiam ꝑdat: aut filios amittat: aut
copia auri ⁊ argenti minuat̄. Sāctus
aūt vir hoc tantū metuit: ne a vultu
domini reddatur alienus. Aug⁹.
Adiutor meus eſto. ad conſequēdā
illā vitam quā a te petij: habitare vi/
delȝ in domo tua: ⁊ faciem tuā contē
plari. Hiero. Ne derelinq̄s me.
neq; hic neq; in futuro. Neq; deſpici/
as me deus ſalutaris me⁹. Aug⁹.
Domine deus ne contemnas q᷑ mor
talis eternum audet inquirere. Quo/
niam pater meus. Nico. adā. Et
mater mea. eua. Dereliquerunt me.
expoſitum miſerijs preſentis vite. q̄ꝛ
per eorum tranſgreſſionem deriuatur
ad omnes homines peccatum origi/
nale. propter quod habent pronitatē
ad malum, et difficultatem ad bonuȝ.
Dominus autem aſſumpſit me. q̄ꝛ
recurrentibus ad eum non denegat
ſuū auxilium contra pronitatē ad ma
lum ⁊ difficultatē ad bonū. Ideo ſub
ditur. Legem pone mihi domine in
via tua. Lex dicitur a ligando: acſi
apte dicat. Ita me liga lege naturali ⁊

diuina. vt non declinem neq; a dexte
ris neq; a ſiniſtris a via legis mãda/
toꝝ tuorum. Et dirige me in ſemita re
cta. Per ſemitã que artior ⁊ rectior
eſt q̃ via: intelligitur via pfectionis
et ꝯtemplationis: quã vir ſanct⁹ deſi
derat ducere. Et addit. ꝓpter inimi/
cos meos. id ẽ ꝓpter demones: et ap
petitus carnales: qui inſidiant bonis
opibus meis. Ne tradideris me ĩ ani
mas tribulantiũ me. id eſt in volũta/
tem malignoꝝ ſpũum mihi adureſan
tium. vt aliqñ conſentiam eis. Qm̃ i/
ſurrexerũt in me teſtes iniq. Demo
nes enĩ de iuſtoꝝ innocentia requiſi/
ti falſum reſpondent. ⁊ ꝯtra eos alle
gant. Sicut ſathan interrogat⁹ de in
nocentia ſancti Job falſum reſpõdit:
et cõtra eum falſum allegauit dicens
Nũqd fruſtra Job timet deũ? Et mẽ
tita ẽ iniqtas ſibi. quia ſathan men/
dax eſt ⁊ pater eius: q̄ eſt inuentor mẽ
dacij: vt dicitur Johis viij. Colle.
Et qm̃ iuſtus ex fide viuit: vir ſan/
ctus inter huius ſeculi mala ꝯſtitut⁹.
orationẽ ſuam in fide ⁊ ſpe concludit
dicens Hugo Credo videre. id
eſt me viſurum bona domini. electis
repromiſſa in terra viuentiũ. id ẽ in
vita eterna Aug⁹. O bona domi/
ni dulcia. immortalia incõparabilia:
ſempiterna: ⁊ incõmutabilia: et q̄ndo
vos videbo. Eruet me dñs a t'ra mo
rientiũ: qui ꝓpter me non dedignat⁹ ẽ
ſuſcipere terram morientium: ⁊ mori
inter manus morientium. ¶ Talia ſu
ſpirans iſte fidelis laborans dixit: pe
riclitãs dixit: inter magnã turbã tẽta
tionũ cõſtitut⁹: et de miſericordia do
mini confiſus. Audiamus ⁊ nos vo/
cem domini deſup exhortãtis ⁊ ꝯſolã
tis nos. Audiuit enĩ gemit⁹ noſtros.
vidit ſuſpiria noſtra. Intuit⁹ ẽ deſide
rium noſtrũ: ⁊ vnam petitionẽ noſtrã
p chriſtum aduocatum libenter acce/
pit. et donec peragamus iſtam peregri
nationem. qꝛ dilatur⁹ ẽ nõ ablaturus
quod promiſit. Dixitq; nobis Expe
cta dominũ. qui verax eſt in pmiſſis.
¶ Nico. viriliter age. de bono in
melius proficiendo. Et confortet cor
tuum. Caſſ. Ne quaſi lapſus mur
mures: et tedio fatigãte deſperes. ſed
ꝯfidenti animo ⁊ ſecuro Nico. Su
ſtine dñm. patienter tolerando diſci/
pline ipſius flagellum. quia ipſe vul/
nerat ⁊ medetur: pcutit ⁊ manus eius
ſanabunt: Job v. Coll. chariſſimi
inter multiplices ⁊ ſeuientes tpalis
vite anguſtias conſtituti: qd deſidera
re debeamus ⁊ orare: vir ſanctus in
prefato pſalmo nobis patefecit. Nos
igitur exemplo iſtius ſancti viri do/
minũ deũ noſtrũ in omnib⁹ ⁊ ſup om
nia formidare debem⁹: quia ipſe int'
huius ſeculi aduerſa vnicum noſtrũ
eſt refugium: eccleſiam chriſti omni cũ
deuotione frequentare. et inhabitare
deſiderem⁹ ⁊ appetamus. Gratias do
mino deo noſtro de omnibus benefi
cijs ſuis frequenter agamus: et aſſi/
dua ſupplicatione humiliter deprece/
mur clementiam eius. quatenus ipſo
nos confortante pericula tentationũ
et ꝓcellas ſecularium fluctuũ virili
ter et ſecure ſuſtinere ⁊ tranſire vale
amus: quoaduſq; ad bona dñi in ter/
ra viuentium pcipienda nos vocare
dignabitur ipſe dñs nr̃ Jeſus chriſtus
qui eſt benedict⁹ in ſecula ſe. Amen.

## AD te domine
clamabo. Titul⁹ hui⁹ pſalmi
Pſalm⁹ ipſi dauid Caſſ. Cũ autẽ
dicitur ipſi: nullũ alterũ intelligi poſ/
ſe declaratur niſi ipm mediatorẽ xpm
dñm q̄ p hunc totũ pſalmũ loquitur
ad patrem in paſſionis ſue ꝯflictu cõ
ſtitut⁹. Dixim⁹ eĩ dauid ſignare manu
fortis. Unde tale nomẽ ꝯgrue debuit

hic poni vbi paſſionis dñice glorio/
ſa certamina referunt Aug. Que
dñs ieſus videt in hoc pſalmo opta
re videtur inimicis: nõ maliuolentie
votũ ẽ. ſed denunciatio pene eorum
Caſſ. Notãdũ ẽ igitur hũc pſalmũ
eẽ tertiũ hoꝝ q̃ paſſionem et reſurre
ctionẽ dñicam ſub breuitate cõmẽo
rat Glo. Intẽtiõe monet eos ad/
uerſa tolerare: qui volunt cũ chriſto
regnare. Chris itaqꝫ ſm ꝙ hõ ꝑponẽs
ſe exẽpluꝫ iuſtis humiliter orãdo ad
patrẽ ait

Ad te dñe clamabo deus meus
Nic. id ẽ: ex magno affectu
cordis orabo ne ſileas a me. Hier
Hoc ẽ ne me deliq̃s neqꝫ taceas a
me. Repetitõ ẽ eiuſdẽ ſñie ad ma/
iorẽ exp̃ſſionẽ affectus. et aſſimila/
bor deſcendẽtibus in lacũ. i. miſeri
am huius ſeculi que ꝓfunditati lac⁹
comparatur Caſſ. Precatur ergo
humanitas chriſti ne ab ea ſeparet
eternitas ꝟbi Hier. ꝙ ſi diuinitas
ab ea receſſiſſꝫ: ſimilis nobis in miſe/
ria fuiſſꝫ Caſſ. Pulcerrima q̃qꝫ
ꝟboꝝ ẽ facta diuerſitas Clamat hõ
ne ſileat deus. ꝙ noſtro ſilẽtio ille ta
cet et nobis negligẽtib⁹ in memoria
eius nõ habemur. Econtra ſi domio
ꝑſtãte reſpicimus reſpicit. ſi clamam⁹
exaudit. ſi diligim⁹ ⁊ amamur Exau
di dñe vocẽ depcatiõis mee duꝫ oro
ad te in paſſiõe mea. relictis ei diſci/
pulis receſſit et orauit dicens Pater
ſi fieri poteſt: trãſeat a me calix iſte
Hiero. Orauit etiã chris in cruce
ꝓ toto mũdo: ꝓ iudeis ⁊ ꝓ apoſtolis
Hug. Unde apoſtolus ad hebre.
quinto In diebus carnis ſue preces
ſupplicatiõesqꝫ ad eũ qui poſſet illuꝫ
ſaluum facere a morte cũ clamore va
lido et lachrymis offerẽs, exauditus
eſt pro ſua reuerẽtia dũ extollo ma
nus meas extẽdẽs eas in cruce ad
templũ ſanctũ tuũ. Caſ. hoc ẽ ad
celũ. quod orãtes hoĩes facere cõſue
uerũt Naꝫ deſideriũ poſtulantiũ eſt.
vt licet vbiqꝫ deũ nõ ambigãt: de ce
lo ſibi auxilium venire confidãt Vñ
et in dñica orõe dicim⁹ Pater noſter
q̃ es in celis. Ne ſimul tradas me
cũ peccatoribus ꝙ morituꝝ ſe noue
rat. merito petebat ne inferis tradita
eius aĩa cuꝫ peccatoribus miſceretur
et cum operãtibus iniquitatẽ ne ꝑ/
das me. ſic vt aliquã cum ipſis habe
am portionem. De quibus peccatori
bus ſubdit. cuꝫ his Qui loquũt pa
cem cum ꝓximo ſuo Iudeos com/
memorat: quos ꝓximuꝫ ſuuꝫ vocat.
ꝙ ei carnis origine iungebantur In
quoꝝ labijs erat pax: cũ dicebãt Ma
giſter ſcimus ꝙ verax es. et ꝙ a deo
veniſti: et viam dei in veritate doces
Hier. malicia aũt in cordib⁹ eo/
rum cum dicebant interrogãtes eũ.
Licet nobis tributum dare ceſari an
non? Da illis ſm opera eoꝝ puni/
endo eos in die iudicij ſm merita eo
rum. vt ꝙ te non intelligũt ꝑ benefi/
cia: intelligant per cruciatus et ſm
nequitiã adinuẽtionũ ipſoꝝ Hug.
id eſt ſm nequiciã ab eis ſtudioſe in/
uentã: dicentes eum ſeductorẽ demo
niacũ et multa alia que ei falſe impo/
ſuerũt Secũm opera manuũ eoꝝ tri
bue illis. repetitio ẽ eiuſdẽ ad maio
rem expreſſionẽ malignitatis eorum
redde retributionem eorum ipſis.
Aug. ꝙ pro veritate quã audiebãt
voluerũt fallaciã retribuere. fallacia
eoꝝ ipſos fallat Qm̃ nõ intellexerũt
opera domini Hug. inuiſibilia. ſ. ꝟ/
bũ caro factũ ẽ et quod maius mi
rũ ẽ in opera manuũ eius. ſ. viſibi
lia: que faciebat miraculoſe mortuos
ſuſcitãdo: et ſanando egros ipm̃ nõ i/
tellexerũt. Caſſ. Opa ſi quidem dñi
fuerũt vt docẽt populũ viã veritatis

et arcana fidei ſacte incarnationis re
cõciliaret hominem deo. quaten⁹ vbi
nõ poterat viciata natura cõſcẽdere.
dñice viſitationis munere perueniret.
Et ne filio dei vera docẽti mẽs obſti
nata ñ credẽt. hʒ q̃ʒ miraculoꝝ ingẽ/
tiũ vͥtute firmauit. vt q̃d intelligerent
iudei nõ poſſe coẽz hoĩez facere: hoc
euident agnoſcerẽt potẽtiã diuinita/
tis implere. ſed illi demẽtes dũ tm̃mõ
hoĩez credũt: filiũ dei ipſum dici indi/
gniſſime ptulerũt. Hug. ꝓpter q̃d
